

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XL.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

III Naturaliter omnes amant vitam, & horrent mortem, quia mors non à Deo, Sap. 1. v. 13. & 2. v. 23. sed à Diabolo, Sap. 2. v. 24. propter peccatum, Rom. 6. v. 23. Ideo ipse Dei filius exhorrescit mortem, Matt. 16. v. 39. Ita Dauid hic.

Lenire autem hunc dolorem debet, quod mors deuita à Christo, Ose. 13. v. 14. piis somnus est, Luc. 8. v. 52. ex quo latius resurgent.

F I N I S.

T H E M A X L.

Pfal. 7. vers. 12. ad 15.

Deus iustus iudex, militans per singulos dies Deus. Et cetera quae sequuntur vsque ad vers. 15.

D I S P O S I T I O.

In his verbis Psalter introducit Deum omnipotentem, sub persona militis armati, qui venit accinctus ad perendum hostes suos, qui cum ipso pacem seruare nolunt, sed lacessunt ipsum, vt cogatur armis & telis vindicare iniuriam illatam. Vbi quidem Psalter non tantum excusat DEVM ab omni iniquitate, sed & vt manifestum fiat omnibus, quod iuste agat, processum describit aut modum, quem Deus solet obseruare in vindicatione scelerum. Neque enim mox accelerat interitum, sed gradus obseruat, sic vt nullius iniquitatis auc præcipitis iudicii reus agi possit.

Quia igitur hæc omnino etiam ad nos pertinent, si nõ velimus experiri Deum vindicem iustum peccatorum: tres illi vltionis diuini gradus, quos verbis prælectis Psalteres insinuat, probe obseruandi erunt, vt sic manum Dei vlttricem effugere discamus.

I. Pars.

Deum non tantum misericordem & bonum, sed etiam Zelotem esse nobis constat ex Decalogo, Exod. 20. vers. 5. Deut.

Deut. 5. v. 9. Ideoque Iudicem etiam Pfalmus hoc loco vocat: vt & Pfal. 50. v. 6. & 75. v. 8. Et vltorum Syrach. 35. v. 15. & quidem iudicem iustum, Deut. 32. v. 4. Pfal. 119. v. 137. Non tantum eam ob causam, quod non est acceptor personarum & *προσωπλητισ* Deut. 10. v. 17. Efa. 11. v. 3. 1. Sam. 16. v. 7. Acto. 10. Rom. 2. Gal. 2. 1. Petr. 1. sed quod, quemcunque ille condemnat, aut cui poenam irrogat, non possit videri iniuste condemnatus aut multatus. Etenim non statim ad supplicium rapit peccantem, qui vel ex ignorantia aut imprudentia lapsus est: sed præmonet & prius minatur, quam puniat.

Hoc est, quod dicitur, singulis diebus ipsum minari. Idque eam ob causam facit, ne homines in proprium exitium ruant nescientes & incauti.

Minatus est Adamo mortem, vt sic deterreret à peccato, Gen. 2. v. 17. Sic præmonet Cainum etiam Gen. 4. v. 7. Et Sodomitas per Lothum, Gen. 19. 2. Petr. 2. Minatur diuini Mundo originali per Noam annis centum viginti, Gen. 6.

Idque hanc ob causam facit, vt conuertantur homines & declinent iram Dei, ne cogatur ratione iustitiæ suæ punire homines.

L e c t s. Nondum cessauit Dominus minari peccatoribus Nec officium Iudicis deseruit, Pfal. 50. & 75. & Quia enim singulis diebus minari dicitur, id hodie etiam durat: sicut olim: & semper quidem auditæ sunt illæ minæ, quæ etiamnum hodie audiuntur.

Adhuc enim durat id Leuit. 26. Deuter. 28. Si non obedieris voci Domini Dei tui, maledictus eris, &c. Et reuelatur ira Dei super omnem iniustitiam, Rom. 1. v. 18. Scæpius inculcantur illa, Ier. 18. v. 7. Luc. 13. v. 5. Nisi pœnitentiam egeritis Vide Ier. 18. v. 11.

Hæ conciones ideo proponuntur, vt conuersi agamus pœnitentiam. Eamque ob causam non properat Deus ad pœnam, sed spaciū pœnitentiæ concedit. Vide Gen. 6. v. 3. Et hoc ipsum inculcatur nobis ex Ezech. 33. v. 11. & 18.

& 18. vers. 23. & 27. ut cum vnica via effugiendi manum Domini vis dicem sit poenitentia, non ipsi nostram salutem negligamus temere. Huc pertinent illæ crebræ admonitiones. Poenitentiam agite, ex Matt. 3. v. 2. & 4. v. 17. Luc. 3. Actor. 2. Ezech. 18. &c. Securis ad radicem posita, Matth. 3. v. 10.

II. Pars.

Vbi vero his comminationibus suis, Justus iudex nihil potest proficere, atque nulla sequitur conuersio aut poenitentia, sed frustra diu expandit manus ad populum inobedientem, (Esa. 65. v. 2.) ibi tum Dominus aliam rem aggreditur via, & incipit ipso opere minari, nec tamen adhuc *πυροδραστηριον* inducit. I. Acuit gladium suū, & vibrat contra inobedientes, & ferit leuiter, paterne, & cum iudicio (Ierem. 30. v. 11.) ne videamur nobis infontes, Et ne ipse videatur Iudex esse cœcus & incermis. Vide Esa. 57. v. 11. & 42. v. 14.

2. Intendit arcum, & sagittas iam incipit adaptare & imponere, & collinat aduersus inobedientes.

Per gladium & sagittas, bellum, fames, pestis, & eius generis aliæ calamitates intelliguntur: quas minatur Dominus, Ier. 14. v. 12. & 24. v. 10. Ezech. 6. v. 11. Gladius in manu Angeli, 2. Sam. 24 sic sagittæ Psal. 91. v. 5. pestem denotant. Ita de cæteris. Et tentat Dominus prius variis pœnis corporalibus securos reducere in viam, quam ira ipsius exardescat.

Locvs. Videmus, quo loco habere debeamus publicas illas calamitates, (iam modo enumeratas) & priuatas quoque pœnas (inlicitas istis, qui antea comminationes verbales contempserunt) scilicet pro comminationibus Dei realibus. *Wann die Wort nit wöllē helfen / so müssen die Streich helfen.* Vnde id Iere. 2. v. 19. Propter malitiam tuam sic percussus es: Et. Ier. 13. v. 22. & 21. v. 14. Pharaon id expertus est, cū omnia contempneret, Exod. 14. Iudei antequam abducerentur in captiuitatem, & post etiam,

iam, antequam plane sunt deleri & abiecti, exemplo esse possunt nobis. De quibus 2. Paral. 36. v. 16. & 33. v. 10. Nos quoque varias experti calamitates, de his debebamus sapius cogitare & in occursum Dei venire. Amos 4. v. 21. atque nos opponere ruinæ, Ezch. 13. v. 5. & 22. v. 30. At plerique illa contemnunt cum illis, Matth. 24. v. 39 & generis Lothi, quibus ridicula videntur ista, Gen. 19. v. 14. Sic nostrates putant, illas calamitates vel casu accidere, vel tamen nihil mali portendere. *Des es tristi, den tristi es* cogitant. Nihil ad me, &c.

III. Pars.

At iustus iudex non impune sibi semper illudi patitur, & si frustra tot comminationes audiantur & sentiantur, tandem æterno exitio destinat impœnites. Sagittas enim lethales tandem eiaculat, & spiculis infernalibus confodit, atque in æternum perdit.

L. Cum tristitia & horrenda exempla huius rei cernamus in Pharaone, Saule, Sodomitis, &c. certe non debebant hæc nobis videri inania terri culamenta, vt nonnulli putant.

Non enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7. Et ignis consumens est. Deut. 4. v. 24.

Et iusta sane erit multorum damnatio Rom. 3. v. 8 qui scientes & volentes in manus Domini incidunt, quod horrendum est, Hebr. 10. v. 31. cum sit iudex & terribilis Deus. Malach. 1. v. 14. Deut. 7. v. 21.

Noluerunt agnoscere tempus, & congregari sub alas. Matth. 24. Luc. 19. v. 44. obdurarunt aures Psal. 58. v. 5. & corda, Zach. 7. v. 11. Ergo iuste pereunt.

FINIS.

THEMA XLI.

Psalm. 8. v. 5.

*Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis:
& cætera que sequuntur ad vers. 7.*

DIS-